

Abschrift des von Baldewin 1346 Anf. Dez. eingereichten Konzepts, von Karl IV. besiegelt, Coblenz, Staatsarchiv 'Kurtrier, Erzbischöfl. Staatsarchiv, Baldwin', zwischen n. 1411 und 1412. — In verso von gleichzeitiger Hand: 'copia regine'.

Nos Blantza Dei gracia Romanorum regina semper augusta ac regina Bohemie et comitissa Lutzillymburgensis notum facimus universis, quod, cum serenissimus princeps et dominus noster dominus Karolus Romanorum rex semper augustus necnon rex Bohemie et comes Lutzillimburgensis, conthoralis noster karissimus, venerabili in Christo patri domino Baldewino archiepiscopo Treverensi, principi et affini nostro karissimo, ac sue ecclesie Treverensi nonnullas vendiciones, concessiones, donationes et obligationes de castris, municionibus et oppidis, villis, feodis, bonis et iuribus dicti comitatus Lutzillimburgensis fecerit, prout in litteris sue celsitudinis dicto .. archiepiscopo super hiis traditis videri poterit plenius¹ contineri, nos pure devocionis et fidelitatis constanciam, quam predictus .. archiepiscopus ad prefatum dominum nostrum Karolum ac ad nos, regna nostra comitatumque nostrum Lutzillimburgensem predictos semper habuisse dinoscitur, sincerius attendentes omnes et singulas prectactas vendiciones, concessiones, donaciones et largicionum liberalitates, feoda necnon obligaciones de quibuscumque castris, municionibus, opidis, feodis, villis, bonis et iuribus dicti comitatus per memoratum dominum nostrum Karolum sub quocumque titulo et verborum forma prefato .. archiepiscopo Treverensi et sue ecclesie factas necnon litteras cuiuscumque tenoris et continencie per eundem dominum nostrum desuper sibi traditas ex certa nostra sciencia et super eisdem vendicionibus, concessionibus, donacionibus seu largicionibus et obligacionibus plenius informate approbamus nostrumque consensum ad hoc voluntarie adhibuimus et presentibus adhibemus. Promittentes bona fide huiusmodi vendiciones, concessiones, donaciones, largitionum liberalitates et obligaciones ratas et gratas perpetuo habere nec contra eas venire per nos vel alium seu alios quovis exquisito ingenio vel colore. Renunciamus insuper omni iuri, si quod nobis in premissis competeret vel imposterum competere posset ac omni alio auxilio et defensionis, que vel quod nobis contra premissa, quominus ea rata et grata observare teneremur, posset

1) Vgl. BH 239. 240. 241. 290 etc.